



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VIII. Fugacitas bonorum temporalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

intelligenti difficile non erit, bona caduca & mala ipsis opposita contemnere. Non dubito, quin experiare, quotiescumque libripendem voluntatis deorsum aliquid trahit, proficisci vel ex immodica cupiditate bonorum, vel à nimio metu malorum.

VIII.
Fugacitas
bonorum
tempora-
lium.

Quid autem habent caduca bona dignum amoribus nostris? Tenuia instar umbræ, levia instar venti, fugacia instar diei; nomen pictæ non veræ fælicitatis. Vitro eleganter comparabat Publius Mimus: *Fortuna vitrea est, tunc, cùm splendet, frangitur.* Placuit hæc similitudo D. Augustino, eam variis locis repetenti. Quamquam homilia 28. ostendit fragiliorem vel ipso vitro esse fortunam: aliquando enim nepotes & pronepotes in avorum & proavorum calicibus bibere, cùm tamen avorum & proavorum fortuna perierit. Aptissimè somniis comparabat Philo libro de Joseph, ubi dicit; *hominem sapientem, seu ut ipse loquitur, civilem esse debere somniorum interpretem, id est maximi*

& perpetui somnii humana vita: & quomodo ridendus sit, qui somniorum suorum visis aut turbetur aut exhilarescat: ita vanum esse, quem fugacia mala bonave contrariis moribus nimium exagitent. Eodem sensu, breviter ac scite, vocata est Guilielmo Parisiensi, libro de legibus cap. 8. fortuna omnis humana, *Felicitas somnialis*: ab alio, *bracteata felicitas*. A Sapiente, *Fascinatio nugacitatis*, Sapien. cap. 4. A D. Joanne Apoc. 14 *poma desiderii*, manum fallentia, & hiantis os subito discessu deludentia.

IX.
Vilitas.

Evaporata momenta libidinum eleganter Seneca dicebat: eodem modo dicas momenta favorum, momenta opum, momenta dignitatum. Libro Regum 4. cap. 9. ungitur Jehu in Regem: proceres circumstantes, cum ludibrio id fieri putarent, mox tamen, mutatâ cœlitis voluntate, ludum in serium vertere, & Regem acclamavere, substraveruntque ipsi pallia sua, *in similitudinem tribunalis*. Chaldaeus habet, *ad gradum horarum*: id est, propè solare horologium; cujus umbrâ